DE CAPTANDA CONTEMPLATIONIS DVLCEDINE,

PRÆLECTIO.

QVAM HABVIT ANGELVS CARDIVS, cum ordinariam Philoſophię partem, in Patrio Senenſi Gymnaſio interpretari eſt agreſſus.



PERILLVSTRI, ATQ; EXCELLENTISS. D.

D. MARIO BARDINO

SERENISS. MAGNI HETRVRIÆ DVCIS AVDITORI FISCALI, AC PRIMO CONSILIARIO.

ANGELVS CARDIVS S. P. D.

PRAELECTIONEM hanc ad Te mitto, & pro gratulatione simul, & pro munere. Vtrumque sanè tibi deferendum, munus proprio, gratulatio communi nomine cum alijs. Quisq; enim tibi addictus (quis autem non addictus?) animo, gestu, ac uoce animi interpretibus tibi gratulatur, de hoc sublimi honoris gradu in quo refulges, hoc est tandem aliquando illuxisse diem, quo tuum meritum iam cognitum ab omnibus, & expertum à Serenissimis Principibus, hac publica testificatione dignum declarctur, cui ingens gubernandi moles imponatur; quo tua virtus ex eminenti solio insontibus ad præmium, sontibus verò ad pœnam se ipsam præbeat suspiciendam. Magna hæc quidem laus est apud Magnos primi Consiliarij locum abtinuisse, sed rarior in te laus, qui præcedens merito dignitatem, antequam obtineres possidebas in votis omnium, in sapientum iudicio, & in animo donantis. At quid mirum! Te natura benignum, ingenio sagacem, ætate grauem, doctrina, ac longo rerum vsu prudentissimum admirantes, eum in te veneramur, quem raro adinuenimus Perfectum Consiliarium. Mittitur etiam, vt donũ, sed donum valdè exiguum, cum in eo nil magnum reperiatur præter offerentis desiderium. Attamen parum hoc, quod possum, pro multo, quod tibi debeo, offerre non erubesco humanitatis tuæ memor, quæ efficit, vt quemmadmodum es nomine MARIVS, ita Maris conditionem referas, recepturus videlicet in sinum patrocinij tui, æquè paucas riuulorum, ac fluminum ingentes aquas. Excipias ergo ea serena fronte munus, quo ipse tibi gratulor læto animo: ac patere, vt in hominum lucem proditura, hæc Prælectio, prodeat sub luce nominis tui; teq; contra aduersarios tutelarem habeat, quem, vt prodiret habuit auctorem. Quippe, vt est in adagio, Tu homo homini Deus, in huius fronte præscriberis (vt ipsius Dei imaginem in pariete depingimus) ad eius cultum, & defensionem. Vale.



DE CAPTANDA CONTEMPLATIONIS DVLCEDINE, PRÆLECTIO.

QVIBVS verbis olim Mœcenatem suum Latinus Pindarus est allocutus, iisdem regium Mœcenatem meum Cosmum Mediceum, nunc mihi liceat affari;

Mæcenas atauis edite Regibus,
O & præsidium, & dulce decus meum.

Siquidem Mœcenas est (Auditores religione, doctrina, ac nobilitate prestantissimi) ex Regibus, Imperatoribusq; proauis oriundus; Romanę Ecclesię presidium; Orbis decus; decus, & presidium Hetruriæ; & mihi potissimum sua munificentia presidium, ac sua magnificentia decus. Is enim quinque ab hinc annis Dux heroicus ingeniorum, ne semen illud, qualecumq; sit, in me ad docendum, vel potius ad discendum natura insitum, incultu torpesceret, segnitia corrumperetur; Dialecticæ agellum quendam mihi donauit, vbi industria disseminatum; labore excultum; sudoribus velut imbribus irrigatū, benignitatis radijs innutritum, fructus suo tempore ferret vberrimos. Huius Nautæ eminentissimi auspicijs, honoris aura afflante, linguá explicante, ac contrahente ingenij vela, vobis omnibus (strenuissimi Iuuenes) diligentiæ remigio insudantibus, cum è scopulosis dissertationum cotibus enauigas-

ſem in hanc præclariſſimam Mineruæ ſedem Dialecticæ interpr ætationem traijciebam. Quando in medio Philoſophiæ mari, excitata, atq; oborta tempeſtate, anguſtum nauigiolum meum illuc vndarum vi, ventorumque impetu propulſum; nunc murmurantium aquarum vorticibus depreſſum ad infera; nunc applaudentium montibus eleuatum ad ſupera, parùm certè abfuit, quin totum fatiſcens, atque omninò diſſolutum fluctibus hauriretur. Sed, vt fertur de Græcorum tempeſtate, concutiente hunc ipſum oceanum Deo ipſo, non Neptuno aliquo; ſiluerunt venti, ceſſauit æſtus, cœlum ipſum clarius illuxit, & qui prius ſcindere fluctuoſas Logicę vndas aſſueueram; eidem datum eſt, in pacatum, atq; in ampliſſimum Philoſophię pelagus inuehi; in cuius antris, & aquis rerum cognitionem ex Heraclito, veritatiſq; notitiam ex Democrito deliteſcentem, ac demerſam in poſterum expiſcabor. Iure itaque hunc maximum Ducem, hunc Nautam ſereniſsimum, ducem piorum propugnaculum, nautam barbarorum propulſorem, ducem ſolo potentem, nautam ſalò timendum, iterum Horatianis carminibus alloquar.

Mæcenas atauis edite Regibus,
O & præſidium, & dulce decus meum.

Hic ſanè dignus eſſet, qui ab omnibus, ſed à me ante omnes, prima hac, vt cum eodem Poeta loquar, ſummaque Camœna prædicaretur. Verum quia Principum encomia, tanquàm res ſacras, cũ veneratione potiùs ſpectare, quàm oratione celebrare debemus, libare ſolùm præconiorum limen, non penetrare deſidero, venerator iam non orator, adorator (penè dixerim) non adornator effectus. Cæterum ſi de Coſmo ſileam, non ſilebo de Philoſophia, coſmon, mundumq; totum contemplante: proindeque ſumma comite breuitate, iucunda quædam de ipſius Philoſophiæ laudibus attingam. Theſis, & muneri, & deſiderio meo ſatis congrua:

muneri, quoniam hanc partem annis insequentibus sum explicaturus : desiderio , quoniam sicuti ex philosophia cosmus , ita ex cosmo elucescit philosophia . In qua meditatione illud planè contigit , quod Florentiæ intromissis in Mediceam Testudinem (vbi monumenta Medicei splendoris , spolia temporis, lusus pyramidum barbarorum , altera orbis miracula reconduntur) euenire consueuit . ibi enim ob multa , ac pretiosissima lapillorum , gemmarumque fragmenta simul nexa , ac tenacissimo visco infixa , quibus tanquam coloribus, non in tabula , sed in marmore egregiæ picturæ coagmentantur, pulchritudine cum Zeuxidis tabulis, diuturnitate verò cum æneis Myronis signis certantes; hęret visus,in quæ nam primò sua lumina conuertat,cum æque cuncta proprio lumine nitescere videantur ; hæretque animus in illis artificiosissimis operibus,vtrum ne materia vincat opus, an opere materia superetur. Ita cum Philosophiæ ærarium, ob sapientiæ thesauros locupletius sit Mediceorum diuitijs, præsertim verò ob multiplicem, & admirabilem suorum operum structuram , quam discoloribus veterum sententiarum gemmis, ac lapillis miro ordine affixis, ad naturarum,causarumq; omnium effigiem exprimendam , splendidè , ac magnificè peritissimus glutinator Aristoteles construxit ; multum , diùque dubitaui , quidnam potissimum de hoc Philosophię simulacro,gemmarum ornamentis, colorum varietate , ac figurarum nitore percelebri locuturus , celebrandum arriperem. Et omissis ob temporis, mentisq; angustias alibi considerandis bonorum eius lapillis ; quoniam voluptas adolescentium auribus , semper solet esse gratissima, ideò iucunditas illa , quam humanis mentibus instillat, sola huius admirandæ imaginis Philosophię cõtemplatio, linguam moueat ad loquendum , quæ mouere solet animum ad gustandum . Hanc verò talem esse voluit in Philosophiā Aristoteles, vt ęquius esse statuerit non posse, quam nolle suauitatem

illius contemplando deguſtare. Cuius vnius viri authoritas vobis ſatis eſſe deberet ad credendum, tametſi ſenſus minùs eſſent apti ad percipiendum. Sed in eadem ſententia verſatur, & Seneca non minus actione, quàm Ariſtoteles inſpectione celebris. Is enim ea tempeſtate, qua totius orbis Imperio, & Imperatori præerat, ſola contemplatione à negotiorum ſarcina ſubductus, illiuſque melle refectus firmabat, & condiebat irrequietum animum, & acerbum. Hinc aſſeruit: *Hæc quibus* delectatur vulgus, tenuem habent voluptatem, at ex Philoſophia oritur inęſtimabile bonum, quies mentis in tuto collocatę, expulſiſque terroribus ex cognitione veri gaudium grande, & immotum. Stylus Senecæ acutiſſimus, acutiſſimi Ariſtotelis ingenij de melliflua meditationis dulcedine perſpicax videtur interpres. Fauus profectò contemplationis Hyblæ fauis longè ſuauior, quem non operoſæ fauorum apes, aereum ſuccum, cœleſtemque rorem ex varijs ſyluarum, pratorumque floribus depaſtæ componunt, ſed ſpeculantis animus, perſpicacior apibus, per omnes huius vniuerſitatis campos vagatus, multipliceſq; rerum ſugens notitias, conſtruit. Scimus, vt hinc exordiar, Deum rerum omnium exordium, eſſe adeò à noſtris ſenſibus remotum, nil vt eo remotius ſenſus noſtri perquirant: noſcimus Mentes Deo proximas, eſſe quidem noſtræ menti eſſentiá proximas, at cognitione longè remotiſſimas: non ignoramus hoc cœleſti corpore lucidiſſimo nihil eſſe nobis obſcurius, & hoc ipſum mobile corpus ſub contemplationis orbe, cognitionem noſtram quaſi in centro ſiſtere: ipſa humana Mens idearum omnium compos non eſt ſuæ cognitionis, & quamuis ex ſe ipſa ſit, vix tamen ipſa ſe ipſam dignoſcit. Hæc enim lex eſt nobis indicta, vt de æternis, corporiſque expertibus multo pauciora liceat cognoſcere, quàm de caducis, & corporatis: breuiſq;, ac deficiens ſit perennium, & incorruptibilium notitia; quia cum ex ſe in aures, oculoſque non incur-

rant,

rant, aures, oculosq; eludunt. Attamen Aristotelis testimonio, sicut Hermi, aut Pactoli exigua vena ex alto defluens, secum ingentes auri diuitias deuehit; ita perexigua harum altissimarum rerum cognitio, ingentes delicias animo meditanti subministrat; adeò vt ex paruitate scientiæ voluptatis magnitudo comparetur, & scientiæ paruitas voluptatis magnitudine cumulatissimè compensetur. Quare de Deo, intelligentijs, cœlo, humanaq; mente, quamuis parùm, aut propè nihil; tamen nil humanius, nil cęlestius, nil beatius, tandem nil diuinius percipere, aut concipere datum est. Si ergo, vbi angusta scientia, amplissima est delectatio; vbi nulla fermè cognitio, maxima iucunditas, quali perfundimur voluptate, vbi exundat, ac redundat cognitio? tali profectò, qualem vix possumus admirari, effari ne vix quidem possumus. Atq; vt id pesuadeatur magis, reuocate vobis in memoriam enumerari ab Aristotele, quem naturæ à secretis esse prænostis, inter ea, quę suauitate sua hominum mentes deliniunt, admirationem. Quæ quantum causarum ignoratione obcęcans animum perturbat, tantum inuestigandarum desiderio excitans ad notitiæ lucem recreat; non dissimili modo, ac de gemmarum illa messe apud Indos se habet, quę, quò magis est accolis inopinata eò, sua è terrę visceribus eruptione est iucundior. Appareat ex improuiso Cometa, magnitudine comæ, cincinnorum multitudine, ac diuturnitate incendij horribilis; qui sui portentosi exitus expectatione, non solum mortalia pectora, sed & orbem exterreat vninersum. Confluent ad illum spectandum populi, in quorum ore intuentium, monstrosior visus, quam in aere lux illa crinita rotabitur: quęritabunt sollicitè vnde exierit; quo nutriatur; quo propellente ciatur; quid Regibus, quid regnis minetur. Currerent ita frequentes vulgares, nisi eos vulgaris saltem prę admiratione alliceret delectatio? Prosiliat è concauis speluncis, latæbrosisq; cauernis, vt olim ex Olympiæ porticu vox illata, & quinque, aut septies ad aures refera-

tur alloquētis. Ista vocalis imago viatorem remorabitur ignarū, quonam pacto sua ipsius vox non elisa parietibus, sed erratica intra specus latera ad proprias aures reuertatur illæsa: hęc tamen admiratio nunquam remorabitur nescientem, nisi etiā admirantem detineat voluptas. Itaq; si admiratio, quæ est incerta solùm via ad certam causarum seriem dignoscendam mentes nostras summa delectatione permulcet, quas inexplicabiles iucūditates ipsa certissima abditarum causarum peruestigatio paritura sit, vos ipsi peruestigate, qui olim ex Aristotelę rerum omniū causas peruestigastis. Quin etiam rem ipsam totam peruestigemus diligentius: & cum vulgare sit ad eius laudem, quod dicitur à Tullio, contemplationem esse dulcissimum esurientium animorum pabulum: cum tritum sit ad eius commendationem, quod dicitur à Plutarcho, eam esse suauissimum medicamentum ipsius mentis ignorantia laborantis; cum sit commune ad eius laudationem, quod omnium Peripateticorum ingenio, voce, & consensione, inuentum, enunciatum, ac sutasum est, sola contemplatione ab animantibus distingui homines, solos homines contemplando eo potiri oblectamento, quo nullæ potiuntur animantes; dimittam isthæc omnia, cunctis clara, cunctorumq; prędicatione decantata, & hoc vnum inter alia demonstrare contendam, eam nos ex Philosophia epotare delectationem, quæ ex cupiditatis feruentissimæ expletione percipitur; maximam scilicet, & amplissimam. Esse autem suauitatis plenam exoptatę rei assecutionem, declarat ardentissimum assequuendę desiderium. quò enim flagrantius est votorum exordium, eò felicior est eorum exitus, ac finis. Hinc est, quod sola optatissimi finis recordatione tollimus è medio impedimenta, molestias exorbemus, & superamus angustias. Hoc instar omnium clarissimis monet exemplis strenuissimus quisque Imperator. sciscitanti .n. cur in acie non extimescat strepitus tormentorum, non extimescat enses sanguine imbutos, sed ar-

mis onuſtus, ſudore diffluens, hoſtium ſanguine conſperſus, ſub ſole, ſub dio in medias phalanges irruens, his voce minetur, illis gladio, his addat animos, ab illis eripiat animam, reſpondebit proculdubio ad duros hoſce exantlandos labores, ad graues ærumnas tolerandas, ſpe rapi patrandæ victoriæ, captandiq; triumphi, quorum dulci deſiderio, acerbiſſima quæque condit, aſpera lenit, inuia reddit obuia, conferens voluptates, quas parit victoria mente concepta, cum illis, quas afferet iam parta; & illas, quas parit optata, cum illis, quas gignet obtenta. Hominem huiuſcemodi flagrare deſiderio, hoc eſt inextinguibili ſciendi cupiditate nullus homo negabit, niſi tamen rei veritatem negare, imò niſi velit ſe ipſum abnegare. Teſtatur hoc vox illa peripateticorum Principis in ipſo Sapientiæ veſtibulo prolata: homines ſuapte natura ſcientiam concupiſcere: teſtatur ille ipſe inteſtinus, & tacitus ſciendi impulſus, quo curis vacui, vt inquit Tullius, etiam quæ in cœlo oriuntur noſcere auemus; teſtatur hoc quotidianus rerum vſus, quo nos experimur ad noua ſemper venanda impelli. Quis dum ſpirans illud Copernici ſimulacrum, æthereus ille ſcrutator, oculuſq; ſydereus (Galilæum intelligite Auditores) ſe vidiſſe fatetur ſuo illo perſpicillo ducto per oblongum tubum, noua Medicea ſydera; Solem inſtar lunæ maculis adſperſum; Lunam ipſam montibus, conuallibus, incoliſque refertam; quis inquam eſt adeò ſegnis, vt in horum contemplationem non excitetur? excitatus, oculos viſione, ac mentem cognitione explere non cupiat? Viuit, viuit in nobis hęc ſciendi cupiditas; incluſa ſunt in animis noſtris ſapientiæ ſemina; latitant igniculi quidam amoris rerum cognoſcendarum. Hoc ipſo ſciendi igne inflammati Democritus, Pythagoras, & Plato; immenſa maria tranarunt; extremas oras perluſtrarunt; totum penè terrarum orbem peragrarunt; vt in mari ardentiſſimam ſciendi ſitim extinguerent; per extremas oras, extremarum cauſarum proximam ſibi redderent notitiam; atq; in

ipſo

ipso orbe ipsiusmet orbis, varios cognitionum orbes perficerent. Quapropter inexplebile quidem erit sciendi desideriũ, at si finem desiderio metimur, longè maximum erit à Philosophia (quæ sola est scientiarum domina, & magistra cognitionum) expleti oblectamentum. At quid dico expleti (hic vnus est finis; in his suauissimis expletionibus numquam expleri. Fatetur hoc Archimedes ille Syracusius, qui sciendi pabulo mente nutrita, obliuiscebatur sæpissimè escarum, quibus corpus ipsum nutriret. Innuit hoc morsu ille præceptor Socrates, qui morti proximus, viuidam in se adhuc sentiens sciendi cupiditatem, expletus iam vita, nondum contemplatione, prius quodammodo desijt viuere, quam philosophari. Non oratoris partes ago, sed philosophi, non est meum verborum blanditijs aures vestras captare, sed iuuenum animos sapientiæ preceptis imbuere; quare administer, non conditor, veritatis aquam, ex se pellucidam, absque vllo Eloquentiæ fuco, vt ex ipso fonte haustã, puram, ac synceram propinabo. Abeant nunc, abeant Sardanapali, abeant Caligulæ, qui rationis imperio rebelles, abdomini suo, vt domino suo deseruientes, nullam agnoscentes aliam, quam, quę in sensuũ illecebris posita est, voluptatem, hanc supra omnes vsque ad cœlum, quamuis contra cœlum extollunt. Pro Deum immortalẽ! quę potest esse corporis voluptas, quam venturam, ob sui vacuitatem præcedit, venientem, ob sui expectationem comitatur, & præsentem ob momentaneam solutionem consequitur molestia? Hęc Philosophiæ vera voluptas est, quæ nullius est capax doloris, quia cum semper præsto sit, tota simul percipitur, ac toto tempore percipitur, nec futura, sua mora, nec præterita sua fuga, contemplantis animum excruciat. Illa tunc finitur, cum res iucunda obiecta sensui finem habet, quę citò præterit, cum res ipsa caduca sit, & citò pereat. Hęc nunquam deficiens est, cum sit rerum meditandarum, quę sunt perennes, proindeq; à contemplatione potius

ipsa

ipſa mens, quam res ipſa contemplanda deficiet. Verum quomodo luce digna, hominēq; digna erit hæc illecebra voluptatis, ſi proditura odit lucem, hominumq; conſpectū aufugit? quomodo amplectenda ſi reijcitur à foro, reijcitur à templis? quomodo tandem ſuauis, ſi adepta pœnitentiam parit, ſibiq;met odio exiſtit, ac tædio? Hæc itaq;, vel incerta erit, cum eius natura in motu ſit; vel certè non erit, cum eius virtus poſt primum impetum euaneſcat, quinimò in ipſo ſui vſu extinguatur. Eò .n. (monēte Seneca) peruenit, vbi deſinat, & dum incipit, ſpectat ad finem. Fingas tibi delectamentum quodcumq; ſiue natura paratum, ſiue arte elaboratū, oculis intuendum, auribus hauriendum, ore deguſtandum; quamuis neruos oēs ſuę virtutis intendat, dulciſſimam contēplandi oblectationem, æquare forſan aliqua ex parte poterit, ſuperare certè nō poterit. Oblectabilis ſanè, ac venerabilis oculorum conſpectus eſt, cum tetra nox terras tegens cœlum aperit, ſine colore cœruleum, ſine igne ſplendidū, ſinę labore motum; per quod ceu per ſublime pauimentum vario emblemate ſtratum, ſapphiris, auroq; diſtinctū ſub argentea luna, ſydera in turmas, atq; in agmina vagari cernis. Oblectabile ſub eadem noctis caligine luminibus noſtris ſeſe obijcit Mare, quando malacia detentū placidè, ac tranquillè ſcopulis illiſum, tremulumq;, dum ſtringitur aura, ſinum criſpans, in eo æternos ignes natare, inque cœlo piſces auratis ſquammis ſcintillare, mare ipſum vides in criſtallinum cœlum, ac cœlum in cœruleum mare conuerſum. Nec minus pratum vere nouo oculorum aciem libentiſſimè perſtringit: dum enim ſponte natis arbuſtis, herbiſq; veſtitum, odora quadam, & cana niue conſperſum, diſcoloribuſq; redimitum floſculis miramur, quaſi ſtelliferi ſoli, aut floridi cœli imaginem admiramur. His tamen tamdiù oblectatur oculus, quamdiù aſpectui ſubijciuntur; quare, nec cœlum nubibus obductum; nec mare procellis conuolutum; nec pratum hyeme deformatum, delectant; at cœlum, quod ſapiens men-

te gerit,nec claudunt caliginosę nubes,nec mare ventis inhorrescit, nec prati ornamenta flores languescunt; sed in ea hisce omnibus eumdem tenorem seruantibus,die,noctuque,hyberno, æstiuoque tempore; eorum inspectioni animus vacans, nunquam perenni quadam oblectatione fit vacuus. Eadem ratione in sonis, ac vocibus lætantur aures, veluti festis diebus in organis arte Musica moderatis,quæ ita dulce resonant,suauiterq; mugiunt,vt iucundissimo eorum cantu, non homines modò, sed etiam ipsi sacrarum Aedium parietes, quasi præ gaudio gestire videantur. Quanta pariter exhilaramur lætitia, audientes Eunuchum ad ea ipsa organa canentem? qui dum continuato spiritu vocem in longum trahit, variatam flectit, acutam frangit, grauem fingit, intorto impetu rotat, puncto temporis eleuat, saltu pręcipitat, totidem momentis nos facit gaudio diffluere,quot ipse vocum accentibus diffluit. Porrò maxima vis est in his cantibus, & vis maximè suauis, sed nullus neruorum sonus, nullus est vocum concentus, qui cōparandus sit cum rationum neruis, quos mente temperat, aut cum acutis, grauibusque vocibus, quas ore promit philosophus; non Sirenum cantus, quo nauigantes detineri; non Orphei, quo flumina sisti; non Amphionis, quo saxa moueri, preceque blanda Thebanę vrbis mœnia extrui dicebantur. Fabulantibus hæc poetis, vel potiùs somniantibus prodita sunt; sapientia ea est, quæ litterarum munimentis, non incantamentis allicit, effręnes iuuenum animos ad flagitia fluminibus celeriores sistit, pectora saxis duriora cultu emollit, ad ciuilemque vitæ rationem obeundam, & ad ciuitates męnibus cingendas traducit. An quispiam audebit cum philosophica iucunditate eam exæquare, quam ex sumptuosis conuiuijs Persæ, quamue ex intempestiuis compotationibus Syracusani traxerunt? minimè profectò, nam philosophorum Symposia locupletiora sapientiæ dapibus Syracusanorum,aut Sybaritarum cœnis, magisque splendidè cibos parant,& ma-

gnificè

gnificè ornant, non ad genio, sed ingenio indulgendum, neq; ad ventrem, sed ad mentem ipsam alendam. Quorum epulę nec grauant animos copia, nec qualitate lędunt, sed ęque suaues, ac salutares, quò magis deguſtantur, expetuntur magis, satietatem quidem, nunquam tamen saturitatem allaturæ. Nulla eſt, nulla eſt mihi credite, vel potius credite Ariſtoteli in hac rerum vniuersitate iucunditas, quam hęc non exuperet, non obruat. Exiſtimabitis oblectamentum, quod ex pacatiſsimi regni dominio concipit animus? tamen tugurium regiæ, imperium animi, corporum imperio præferens, contempſit Heraclitus: magnifacietis delectationem, quæ ex auri, argentiq; maxima copia elicitur? hanc tamen Persarum diuitijs, philosophicæ egeſtatis delicias pręponens, Thebanus Crates neglexit: amabitis suauitatem ex caro propinquorum consortio, ex grato amicorum conspectu fluentem? tamen sapientię receſſus pro congreſſu habens, Academicorum platanos pro plateis, repudiauit Anaxagoras. O voluptatum inuentricem, artificem deliciarum, suauitatum adminiſtram, dolorumque omnium expultricem contemplationem. Ea namque, sicuti ab oculis lacrymas, ita etiam ab animo mærorem omnem abſtergit: siue ab exilio proficiſcatur, vt in Boethio; siue ex cœcitate, vt in Democrito, siue ex imminenti vitę periculo, vt in Euclide; siue ex alijs hominum anguſtijs, vt auguſto paſtore sapientes ad omnes animi, corporiſque languores medelam dulcem, ac salubrem, ex hoc pretioſiſſimo sapientię myrothecio deprompserunt. Multus eſſem, & tamen mutilus, si quæcumque dici poſſent, si quæcumque dicere poſſem, vellem pro veritate, non pro dignitate, non efferre modo verum etiam referre numerando. Quamobrem, ne nimius verborum æſtus, ac murmur aures obtundat veſtras, sermoniſque carinam absorbeat, vela orationis meę, beneuolentiæ veſtræ flatu turgida contraham, & leni, breuique rationum curſu, portum dicendi capiam; dummodò attentionem eamdem, quam adhuc prę-

buiſtis, in poſterum, veluti auram ſecundam non denegetis. Sed cum in portus mentionem inciderim, iure tranquillum animorum portum dixerim Philoſophiam, cum olim dixerit Ariſtoteles, ſcilicet ſtatum quemdam naturalem, in quo, veluti in portu ſapientiæ amatores libentiſſimè conquieſcant. Hinc Seneca animos noſtros in terras deſiluiſſe, & quaſi alieno loco hęſitaſſe aiebat; hinc prouida natura erecta corporis forma hominem inſigniuit, vt etiam erecto foret animo: atque os ſublime dedit, vt in ſublimia oculos attollendo, illùc etiam cognitionem extolleret. At cum ad ſua quæque loca propria deuehat operatio, mens ex Ariſtotele particula dicitur, qua intelligit animus, & ſapit, vt inde conijciamus mentis agitationem eſſe opus humanę naturæ maximè proprium; quo ducitur ipſa mens ex hoc alieno corporis loco, quo detruſa eſt, in propriam, & naturalem contemplationis ſphæram. In qua iuxta ſententiam Senecæ, (ex quo diſcimus omne, quod dicimus,) ita ſe habet ſapientis animus, vt cœli ſtatus ſupra lunā, nimirum illìc ſemper ſerenum eſt. Si ergo concedimus elementa proprijs librata locis (vt ſic dicam) pacatè degere, nec grauitate deprimi, nec leuitate ſubleuari, etiam concedere debemus, mentem per contemplationem in ea ſede locari, in qua iucundiſſima detineatur tranquillitate. Itaque hunc meditationis portum mentium noſtræ nauiculæ feliciter inuectæ, in eo non conquieſcant modo, ſed verius dixerim conſeneſcant: in quo videre eſt ſapientiſſimum piſcatorem Democritum, hamis, naſſis, & retibus philoſophiæ è profundiſſimis latentium cauſarum vorticibus (in quarum aquis demerſa fluctuat) ipſam extrahere veritatem. Quod quidem intuentes Ariſtoteles, & Cicero; ille veritatis contemplatricem appellat, hic veri inuentricē definit. Cuius inuentio ita ſuauis eſt, vt etiam, cum ſuauiſſimis collata, ſuauius nil adinuenias. Dulcis eſt amicitia, dulcis pręceptorum amor, dulce eſt ipſum viuere; at his om-

nibus dulcior est veritas; ob quam Aristoteles etiam despexit amicissimum Platonem, quem viuũ coluit, vt oraculum; mortuo, vt numini litauit: ob quam ille idem Plato nos monet, vt præceptorem Socratem à se vnicè amatum non semper diligamus, quando videlicet non dilexerit veritatem: Plinius ille, de cuius gestis vberior historia texeretur, quàm ipse de naturalibus arcanis pertexuit, ad inquirendam emicantium igniũ veritatem, quos eructat ore Vesuuius, non curat vitam perdere, illiusque flammis, quasi rogo comburi, vt inde rediuiuus in omnem æternitatem Phęnix exsurgeret ingeniorum. Pręclara sane hęc dixeris, præclarissima audientium corona, pręstantiora tamen vos manent, at breuiora, etenim non modò portus est animorum pacatissimus cõtemplatio, sed tutissima porta ad felicitatem, & beatitudinem. Magnum est hoc, & supra vestram opinionem Adolescentes, at non supra veritatem: quamuis enim varia extiterint de summo hanc vitam viuentium bono priscorum placita Philosophantium; mihi tamen Aristotelis arrisit opinio, cum à ratione non abhorruerit; qui statuit non in habitu, vt Stoici, sed in sola præstantissimę virtutis actione, hoc est in ipsa altissimarum causarum cognitione, quæ est actio perfecta absolutissimę sapientię, collocatum esse summum bonum. Neque propterea negare ausim morales virtutes summo, ac sibi debito bono priuari, sed assero in cõtemplatione pręcipuè locatum esse, cum in ea vltimus finis reponatur. Inspicite hoc veluti è specula in regio illo sapientiæ, ac prudentiæ speculo Salomone, erat is corpore perfectissimus, progenie dauidicus, conditione regius princeps, imperio amplissimus, regimine prudentissimus, diuitijs opulentissimus, delicijs affluentissimus, ita vt his omnibus omnem supergressus sit, quę ante, postque ipsum fuerit principum gloriam; reginæq; Sabæ attestatione, & admiratione, omniumq; consensione felicissimus decantaretur; tamen sacrarum testimonio litterarum, nunquam talis haberetur, nisi amplissimo regno

ęqualem ſapientiam diuinitùs obtinuiſſet. Quaſi parùm fuiſſet ad eius felicitatem eſſe ſceptro potentem, niſi potuiſſet ingenio, parùm habuiſſe manum omnia exequētem, niſi habuiſſet animum omnia cognoſcentem; parùm fuiſſe prudentiſſimum, niſi ſapientiſſimus extitiſſet. Ex his intelligere poteſtis, quanta ſit in contemplatione voluptas, cùm in ea tantum ſit bonum: ſummum quippe bonum ſumma aſſequimur voluptate: quin etiam ſi fides Ariſtoteli, illud ſummum, hæc ſumma conſequitur. Nec iniuria id quidem, nam quandò in Illū perfectionum, ac ſuauitatum omnium oceanum (cuius riuulus eſt exiguus hic noſter oceanus) contemplando reuertimur; vnde priùs inſtar fluminum deriuamur, fieri haudquaquam poteſt, vt ſaporem aliquem pro ſalſuginoſo, dulciſſimum non imbibamus: quinimò, ſicut ea ipſa flumina reuoluta in mare conuertuntur in mare, ita ſapiens in Deum mente conuerſus, in eum ſimilitudine quadam conuertitur. Hinc apud Platonē Alcibiades Socratem ſapientiſſimum, Sileno perſimilem dicebat, nimirū, qui ob corporis affectus extrinſecus brutorū effigiem præſeferret, intrinſecus verò ob ſapientiam, Dei imaginem pectore conditam geſtaret. Et Seneca ſtoico tamen ſenſu interroganti, quæ ſapientem faciunt, quæ Deum ipſum reſpondit. Impius quidem ſenſus ſi citrà noſtrum ſenſum, cùm eò ſapientem ferat, quò ſcandere non poſſis, niſi hominem tranſcendas. Veriùs cum eodem ſibi dixeris, ſapientem Deū eſſe, quia in eo Deus, nempe ipſa mens, quę in homine Deus eſt per induſtriam, vti Deus eſt in cælo per naturam. Etenim quemadmodum ipſe Deus in ſe continet omnia per eminentiam, ita in Sapientis animo, vt inquit Ficinus, oīa, quę in corporibus iſtis ſentimus; cœlorum, elementorumq; globi; ſyderum, vaporumq; naturæ; plantarum, animaliumq; formæ, per repręſentationem continentur: & quemadmodum ille vniuerſorum Architectus omnia procreat, ita ſapiens artibus, quarū mater eſt Philoſophia, ſimillima conando, cum Deo ipſo contendit.

tendit. Hinc fuere, qui fabrefacerent, & volantes, canentesque aues, vt Archytas; serpentesq; sibilantes, vt Boethius; ignem, vt è concauis speculis eduxit Proclus; tonitrua, ac fulgura bombardis, hominũ fulguribus, iouis fulgura, strepitusque olympi æmulantibus; cœlum, ac sydera horologijs, astrorum accessus, recessusq; exprimentibus; ipsum denique vniuersum, vt è vitro, non tamen fragili gloria, nec labore fragili, parua Archimedis manus naturę æmula construxit. Verum hoc nihil est, si cum dicendis conferatis, contemplationem esse fontem delectationum, nihil est, esse thesaurum felicitatis, esse vinculum, quo in hac vita nos Deo, Deusque nobis iungitur, nihil est. Namque post corporis damna, post discrimina laborum, piè hac vita functis proposuit Deus mercedem, qua nil iucundius auribus audiri; nil suauius oculis adspectari; nec oratione exprimi, nec cognitione concipi potest optatius; commune laborantium perfugium; augustissimum secretarum mentium forum; pręclarissimum domicilium animorum; aram humanæ salutis; asylum perpetuæ quietis. hæc tamen requies, requies sacrosancta, requies beatissima, requies suauissima, sola diuinę essentię contemplatione possidetur. Quid? Deus, Deus ipse mundi conditor, bonitatum parens, beatitudinis dispensator, hominum, cœlituumque imperator, qui vitam viuit, qua nil beatius, nil bonis omnibus affluentius, nil perennius, qua viuunt omnia, perficiuntur omnia, beantur omnia, tunc sapientia, ac virtute lætatur sua, tunc noua molitur, motusque gubernat, tunc beatus est, tunc verè Deus est; quum suam diuinam mentem introspiciens, seipsum perpetuò contemplatur. Mens itaque à corpore soluta Deum meditando eam eliciet delectationem, quę supra omniũ mortalium mentes posita est; & eadem mens iuncta corpori eumdem contemplando, non capiet eam oblectationem, quę supra omnem corporis captum posita sit? Dei ipsius contemplatio ea affluit iucunditate, quæ Diuinę menti est consentanea; hominis con-

templatio, quæ eſt ad Dei ſimilitudinem; ſimili ſuauitate deficiet? At deficiet ipſe dies, deficient ipſę corporis vires, nunquam tamen dicendi occaſio, aut vires eloquendi deficient. O nunquam deficiẽtem oblectationem, eximiam voluptatem, ambroſiam animorum, nectar mentium, delicias diuinitatis. Iam porrò defeciſſet oratio, ſi auribus quemdam meis inſuſurrantem, à dubitationibus defeciſſe audirem: diceret enim aliquis ſummo quidem reſperſam eſſe oblectationis condimento inquiſitionem rerum cognoſcendarum, at cognitarum nullo. Hoc non auditur in Academia, non ſentitur in Peripato, non percipitur in Porticu. Sapiens magis, quàm Philoſophus rerũ omnium ſcientia completus, dulciſſima delectatione complectur, tum, quia exercet maximè omnium actionem ſecundum ſapientiam; tum etiam, quia ſæpius, ac frequentius exercet. Veritas exemplo clareſcat. vidiſtis aliquando artificioſiſſimos ſereniſſimi Dynaſtæ, aut Cardinalium Ateſtinorum hortos. hìc conueſtiti parietes edera, opereq; topiario aureis, citreiſq; malis diſtincti; illìc in varias formas conſita viridaria, in quibus buxus, ac myrtus, nauium, caſtellorum; aliarumq; animantium figuras effingere; ab his conſepiri quadratæ areolę lectiſſimis herbis depictæ, regum coronas florum gemmis; cardinaliumque galerum croco, veluti cocco exprimentes; viſuntur alibi roſaria, viarum ſepes, & ornatus; concameratę pergulæ, & ab his pendentes vuæ; longè hinc viridicatę ſyluæ leporibus refertæ; pomarium ſpecioſiſſimarum arborum ramos, lætiſſimis fructibus onerantium; caueæ verſicoloribus auiculis plenæ, melos vocali gutture continuantibus; alibi perennium aquarum riuuli, curſibus, recurſibuſque ſolum ipſum irrigantes, quorum gelidæ aquulę vitro lucidiores ad vmbilicos, leueſque lapillos molliter alliſę, dulciſſimè ſtrepitare; humus tota miris modis luxuriare; ſylua leni flatu impulſa ſuſurrare; arborumq; comæ, quas aura ventilat, crepitare. Vidiſtis inquam iſthæc omnia, & eodem

ſæpè

sæpènumero vos retulistis . cur toties ad eadem reuisenda vester aspectus recurrit ? nonne satis fuerat semel vidisse, introspexisse , suspexisse totis oculis ; totis auribus hausisse ? non fuit ; nam suapte natura iucunda , etiam decies spectata placent . Igitur quemadmodum oculus , mens externa corporis inspectione frequenti rerum sibi conuenientium maximè delectatur : ita mentem oculum animi sæpius iterata inquisitio , pari suauitate deliniet . Et sanè quis vnquam deficeret admirando pulcherrima vniuersitatis ornamenta , orbes illos ceruleos collucentibus orbibus redimitos ; in æqualibus conuersionibus inæquales planetarum recursus ; Venerem, quę sub sole reuoluitur suæ , ac Martis antiquæ vindicem iniuriæ , supra illum reuolutam , (vt recensiores quidam imaginantur) ipsum pedibus calcare ; Lunam in propria sphærula sui vultus maculas eodem semper modo ostentare , solique obiectam, à quo lumen mutuatur beneficij immemorem, eum lumine priuare , in cuius rei pœnam deindè eam obscurari ab illa ipsa terra , quam illustrat . Quis dum immobile istud centrum conspicit, in eo immobilem non firmat intuitum ? summi opificis immobilitatis exemplar ; opacorum, gelidorumq; fontium scaturigo; sedes vastissimarum solitudinum ; immensarum altitudinum fulcimentum ; cicurum , ac ferocium animalium domicilium; metallorum , gemmarumq; promptuarium ; arborum , frugum , atq; odoramentorum omnium , & parens, & altrix ? Quis mutuos aquarum cum terra amplexus non cernit libenter ? ipsa ingentia maria minutulis arenulis clausa : maria dico terrifica totius orbis monstra, quæ etiam si cæli motuum quasi habenis cohibeantur; nihilominus ventorum, turbinumq; stimulis exagitata tumescunt adeò , vt procellosis spirantia minis, frena mordeant, spumis albicent , ipsumq; agitatorem cęlum, vt suis fluctibus obruant ad cœlum vsq; ferantur ; hæc tamen vides , veluti in arenis pedem figere non valeant, in se ipsis conglobari potiùs , quam extra præ-

fixas arenarum metas exundent. Quis non excitatur æque in stuporem, ac timorem ad sonoras tonitruum buccinas; ad fulgura flammis ruentia; ad imbres spumosos, ad turbidas tempestates, ad cœlestes aquas, ad concretas margaritas, atque ad varia rugosarum nubium spectra, & ad illud præsertim oculorum magis, quam radiorum spectrum Iridem, quæ totidem, ac longè plures ex conuerso in eam visu trahit admirationes, quam ex aduerso sole trahat colores. Quis inquam in his, alijsq; id genus contemplandis vitæ potius non deesset, quam contẽplationi? Testem huius rei eum ipsum appello, quem semel, atq; iterum appellaui oculatissimum Archimedem: qui in ipsa Syracusarum direptione, ob animi abstractionem militi interroganti non respondens, miserè perijt, dum feliciter meditabatur; de circulo (vt ipse auguror) magis sollicitus, quam de capite. Tota ipsa Syracusarum ciuitas, quasi suis euulsa sedibus in hostium, ac ciuium sanguine natabat; ipse solus Archimedes in studijs defixus persistit immobilis; in armorum sonitu, in cadentium tectorum fragore, nihil persentit, in puerorum eiulatu, in mulierum lamentatione, in militum clamore, silet. ex quo id fieri credendum? non aliunde, quam ex ipsa contemplatione, cuius dulcedine consopitum, neq; ipsa tota exclamans ciuitas potuit excitare. Testis etiam accedat Christophorus Columbus, cuius nomen, numen quoddam Liguſticę gloriæ vestris in auribus insonet. Is in laboriosa, sed gloriosa illa sua nauigatione, hoc de se ipso iactat; se in tempestatibus, quibus fuerat sępius vexatus, à vẽtorum, marisq; contemplatione, mentis serenitatem accepisse; in imminenti quodam vitę discrimine, in inuentione illius orbis feracissimi vitam, & inuentionem hausisse à contemplatione. Inciderat enim quandoque in barbarorum manus, iam, iamque in eorum epulas discerpendus erat, recordatus nocte sequenti lunæ defectionem futuram; hoc terrifico aspectu perterrens hostes, ex huius defectus contemplatione, è vitæ

de-

defectu eripitur, & qui prius cędendus erat, nunc illi cedunt; quin etiam, tanquam cœlestis, non solum honoratur, sed penè dixerim adoratur. O vim cœlestem cœlestis Philosophiæ, quæ homines ex barbaris mansuetos, ex immanibus reddit humanos, ab inferis quodammodo in vitam restituit. Conspirauit in Christophorum mare, conspirauit fortuna; sed cœlo cessit mare, sapientiæ cessit fortuna. Illud horrido etiam suo murmure horridum quid de illo in barbarorum auribus murmurabat; Fortuna vero inflatis velis aura nominis huius, per impiorum lacrymas, quasi per mare velificando, in eorum corde incredibiles timoris tempestates excitabat; adeò vt illa ipsa Indię Regna prius quodammodo imperio tenuerit, empyreoq; dicauerit; quam alij consilio, & cognitione tenuerint. Quapropter Philosophiæ alis hunc generosum Columbum aquilino remigio ab Europa euolasse existimetis in Indiam; hac duce per in hospita maria ad impias illas, & feras gentes Christophorus, Christum, atq; humanitatem inuexit; huiusque notitia hic Typhis immensos terrarum, marisque tractus emensus, mundum nouo mundo ditauit. Vtinam, vtinam hæc imbiberetis Iuuenes, qui cum nutricis lacte, gloriæ, & honoris cupiditatem suxistis; non licet de teterrimis ignorantiæ, atq; ignauiæ hostibus triumphare, vel non ita gloriosè triumphare licet, nisi sub imperio Philosophiæ, aut non sine Philosophia. Quis enim vnquam diuinę Doctrinæ fructuosam operam dedit, qui prius Philosophię operam non impendit? quis humanis corporibus ritè fuisse adhibita medicamenta dignoscet, qui humani corporis constitutionem ignoret? quis iuris vtriusque periti merebitur nomen, nisi fuerit Philosophia peritus, & legum, ac prudentię peritiam assecutus? quis egregius Imperator, nisi egregijs sapientiæ consilijs regatur; pluresque secum habeat Nestores, quam Achilles? Ad hanc ergo scientiam capessendam, vt gloriam, atq; honorem capessere valeatis, ingenuos, ac pręcla-

ros animos vestros studij illius compellat oblectamentum, alios verò seruiles, & ignauos, (si qui sunt) aliarum disciplinarum rapiat emolumentum. Non dedecet, non dedecet Philosophum esse pauperem corpore, qui diues est animo, ardoremq; sapientiæ pecuniarum amori præferens, iure hec, & similia cum Thalete fortunę bona appellat, cum sint ipsa fortuita. Nec vos ad prçclara natos deterreant in hac præclara scientia sufferendi labores. nam prçstantissima virtus residet in summo iugo montis, vt intelligatis, non sine summo comparari labore; extinguent, dum montem conscenditis vestram sitim illę ipsæ sudorum aquæ, quas funditis; recreabit aura vocis Euripidis, prçclara omnia posuisse Deum sudore paranda: reficiet tandem animum superati verticis planities. Ne patiamini in tolerandis laboribus à saltatoribus, & funambulis superari, quos lõgo interuallo superatis; & eos vobis esse ad verecundiam, qui solent esse ad timorem, vel potius esse vtrosq; alijs ad stuporẽ, illos quidem ob strenuè susceptũ, vos autem ob facilè neglectum laborem. Incedunt ij nudati pedibus per acutos gladios, suspendunt volubili saltu per aera corpus, paribusq; librati ponderibus per extensum funem decurrunt. quo labore id prçstent percipite ex imminenti vitæ periculo, in quo persistunt: nunqam certè volucrum more corpus grauissimũ in sublimi sustinerent, nisi illud labor, & assuetudo sustineret, sed vno, eodemq; saltu corpus in terram, infraque ipsam spiritus laberetur. Sola ergo parui lucelli gratia isti perferunt labores; & vos, qui magnarum rerum notitia ditare debetis animum, non perferetis? Vos, qui non vitę periculum subire, sed glorię vitam immortalem adire debetis; respuetis intellectus acumine, non acutissimos enses, sed per entium gradus adscendere? cognitionis volatu mentem super aera, super cœlum, superque ipsum ad creatorem eleuare? & per rectum sapientiæ filum Adamussim excurrere? Ad hoc studium nobile, & sublime, genus vestrum nobile, ingenium

vestrum sublime vocant : hoc celebris ista Academia pœnè Philosophis vacua ; quæ olim tota Philosophantium vocibus resonabat, in vestro sapientiæ ardore, veterem suorum gloriam ominans se innouaturam, hoc inquam à vobis non solum expectat, verùm etiam expostulat : atq; hisce meis verbis ita vobiscum loquentem putatote. Eia, age iam ornatissima Iuuentus, flos Senensis iuuentutis, flos gloriosæ spei; naturęque non tantùm contemplatrix, sed amatrix; semina illa, quę in te ad sapientię cultum inclusa sunt, ne sinas ocio exarescere, ne sinas in aliud solum transferri; sed ea ad frugem bonam, propriamque semitam perducas. Recordare te esse Senensem, videlicet morum suauitate, ingenij acumine, amore virtutum, ac studio doctrinarum illustrem: supera in his tuos ęquales, ęquare supremis, vince auos, proauosque tuos, & quę maxima victoriarum est, te ipsam vince. Influit in te benignè Serenissimum Principis cœlum, & irrigando gratijs, & irrorando fauoribus; habes per illustres Moderatores, ingenij tui cultores, ac tui progressus fautores: habes domestica, & spirantia exempla, interque alios sapientissimum illum senem Franciscum dico Picolomineum, insenescentem gloriam Senensis doctrinæ: habes eius generum, vel potiùs genium Paridem Beringuccium; qui tanquam Hectoris vmbra per omnium ora vagantes, si cęteris admirationem, vobis omnibus suorum præstantissimorum facinorum imitationem reliquerunt.

Hæc ipsa dixit Academia, hęc ipse dixi.



SENIS,

Apud Hæredes Matthæi Florimi, M. DC. XV.

Superiorum Permissu.